

cienter completur in tali vi agendi; et similiter si voluntas respectu sui habitus consideretur ut potentia passiva, et consequenter ut incompleta respectu efficientiæ quam addit habitus, hoc etiam complementum non pertinet ad causam primam ut concurrentem cum secunda, sed vel ad causas naturales in habitibus acquisitis, vel ad Deum ut habentem rationem superioris causæ in infusis.

Posito autem habitu infuso, jam voluntas est perfecte completa in actu primo, licet oppositum dicat Cabrera, disp. 6, dub. 1, n. 28, tamen sine fundamento. Et ideo in eo ipso non sibi constat. Nam infra, dub. 3, n. 63, dicit potentiam ante auxilium efficax esse constitutam in ultima actualitate actus primi, et n. 64 addit hoc auxilium non tribuere virtutem operativam ipsi potentiæ.

Quod autem solent hi auctores dicere, qualitatem illam necessariam esse ut applicetur actus primus ad agendum, non solidius est; hoc enim facile refutatur, tum argumento facto, quod illa qualitas indigebit etiam applicatione, tum etiam quia revera nulla est talis necessitas. Nam omnis actus primus, quantum est de se, ex vi suæ inclinationis, est satis applicatus ad agendum, si, ex parte objecti vel materiæ circa quam, aliæ conditiones necessariae concurrant, et impedimenta removeantur. Nec magis necessaria est determinatio, nam principia naturaliter agentia de se sunt sufficienter determinata ad exercitium actus; principia autem libera non solum non requirunt talem determinationem, sed etiam illi repugnant, quatenus libera sunt; nec determinatio ad individuum effectum fieri potest per inditam qualitatem præviam, quia de se semper est indifferens ad plura individua; sed fit per Divinum concursum concomitantem, ut alibi ostendi.

Denique excitatio vel motio virtutis, quæ operatura est, in virtutibus mere naturaliter agentibus non solum per se necessaria non est, verum etiam nec percipi potest nisi ubi est necessaria prævia aliqua alteratio, ut virtus agentis compleatur, vel convenientius applicetur; tamen, supposita sufficiente dispositione ad agendum ex parte causæ secundæ, ficta est omnis alia excitatio, vel motio prævia quæ necessario fieri debeat a causa prima, ut concurrente cum secunda, vel potius antequam concurrat cum secunda. Propria ergo excitatio pertinet ad potentias animæ; et hæc fit, vel per impressionem specierum, vel luminis, vel per ipsos actus vitales. Tamen si

ex hoc capite supponitur sufficiens excitatio, omnis alia impressio vel motio, quæ necessaria fingitur ad excitandam potentiam, est ficta sine fundamento. Quæ omnia latius prosecutus sum in l. 1 de Auxiliis, et in disputationibus Metaphysicæ, et æque procedunt in auxiliis gratiæ, supposito prævio actu primo illius ordinis, et sufficienti excitatione et motione per auxilia prævenientia.

CAPUT XXVIII.

SOLVITUR OBJECTIO, ET OBITER EXPONITUR A QUO PROXIMO SUPERNATURALI PRINCIPIO PROCEDUNT ACTUS SUPERNATURALES QUI NON ELICIUNTUR AB HABITIBUS.

Solum potest superesse difficultas de prima conversione peccatoris, et in universum de primo actu supernaturali libero quem potentia elicit, antequam habeat habitum infusum. Nam tunc potentia plane est incompleta et intrinsece insufficientis; ergo indiget qualitate aliqua per quam prius recipiat vim agendi, quam agat, et ita constituatur in actu primo. Posset etiam difficultas extendi ad actus supernaturales qui eliciuntur a potentia affecta habitu; nam etiam illa efficientia non est immediate a solo habitu, sed etiam ipsamet potentia immediate influit, ad quem influxum non est de se et natura sua proportionata, neque habitus ad illam sufficit, quia ille non potest dare nisi suam activitatem; ergo necesse est ut per illam qualitatem efficacis auxilii suppleatur illa improportio.

Verumtamen hæc posterior difficultas nullius momenti est, nam illa improportio, si quæ est, non magis potest tolli per qualitatem additam post habitum, quam per ipsum habitum; quantumvis enim potentia fingatur affecta duabus vel tribus qualitatibus, semper ipsa debet immediate influere in actum quem elicit, alioqui non eliceret illum vitaliter, neque esset a principio intrinseco vitæ. Necesse est ergo ut potentia immediate influat in actum per suam entitatem; qualitas vero licet addat virtutem activam supernaturalem, quam non habet potentia, non tamen potest reddere ipsam entitatem potentiæ magis proportionatam ad illum suum proprium influxum, quam ex se sit. Quia non immutat illius naturam in seipsa, sed solum addit novam superiorem virtutem. Vel certe si qualitas auxilii id præstare posset, eadem ratione id faceret qualitas, quæ est habitus, quæ dignior et excellentior est. Quare dicere necesse est vel

potentiam ipsam habere naturalem aliquam facultatem et activitatem, saltem imperfectam, et quasi fundamentalem, quam complet habitus; vel saltem habere potentiam obedientialem innatam per quam influit in actum, eo ipso quod elevatur per habitum, et per supernaturalem Dei concursum.

Difficultas ergo tota est in priori puncto, per quid scilicet compleatur hæc potentia ad primos scilicet actus eliciendos. Quam facile expedient qui opinantur primum actum contritionis vel charitatis elici ab habitu proportionato in eodem instanti infuso, quod etiam opinantur isti defensores physicæ prædeterminationis, et idem consequenter dicere debent de primo actu fidei in eo qui denuo ad fidem convertitur, quod scilicet procedat ab habitu fidei qui ei statim infunditur, nam est eadem ratio et proportio, et juxta hanc responsionem cessat objectio. Nos vero hanc sententiam non probamus, quia infusio habitus supponit actum jam elicitum tanquam dispositionem propter quam datur, et ita non infunditur habitus ut actus fiat, sed, quia actus factus est, ideo habitus infunditur, et ideo oportet quærere aliud principium supernaturale illius actus. Dicunt ergo alii tunc infundi quidem qualitatem aliquam per modum auxilii actualis. Vocatur autem actualis, quia non est permanens, sed solum durat, quandiu durat talis actus, et ideo non putant tale auxilium esse necessarium ad actus qui eliciuntur ab habitibus. Potestque hæc opinio defendi, dummodo talis qualitas non ponatur prædeterminans voluntatem; recte enim potest dare virtutem agendi, et non prædeterminare, sicut id facit habitus; imo vix potest intelligi quomodo possit aliud facere, ut statim dicam.

Nihilominus alii existimant non esse necessariam qualitatem hanc, non satis intelligibilem, et ideo putant ipsosmet actus gratiæ excitantis esse sufficientia principia physica ad eliciendum actum consensus. Sed hoc etiam semper mihi visum est valde difficile. Nam si ita intelligatur ut actus ipse gratiæ excitantis sit principium proximum connaturale, habens virtutem in suo genere principalem ad eliciendum actum consensus, sicut etiam habet habitus infusus, videtur hoc excedere naturam talis actus, qui valde imperfectus est comparatione ipsius consensus; si autem intelligitur actum ipsum gratiæ excitantis concurrere tantum, instrumentaliter elevatum a Deo, cum hoc non sit connaturale tali actui,

nec debitum illi, quandoquidem excedit ejus connaturalem virtutem, oportet ostendere fundamentum in quo nitatur, aut ubi revelaverit Deus hanc elevationem, quam vix concedunt Theologi in contritione, quæ est pars sacramenti Pœnitentiæ, ut sacramentaliter efficiat gratiam habitualement. Et præterea de ipsomet actu excitantis gratiæ redibit quæstio, quomodo aut per quid elevetur ad talem efficientiam. Imo cum ipse etiam supernaturalis sit et effective fiat a potentia naturali, de illo etiam interrogabitur per quod principium supernaturale eliciatur a potentia.

Et ideo in universum loquendo de actibus supernaturalibus, qui sine habitibus eliciuntur, sive libere, sive necessario fiant, probabilius existimo præter actuale auxilium concomitans, quod datur potentiæ per modum concursus, seu actionis divinæ, non dari aliud auxilium per modum principii, vel qualitatis inhærentis, sed Deum ipsum per omnipotentiam suam supplere activitatem habitus. Id enim facile facere potest, cum inde non pendeat vitalitas actus, sed a proprio influxu potentiæ per suam entitatem, estque satis ut illud principium sit supernaturale et gratuitum respectu potentiæ, quamvis sit ex providentia gratiæ quodammodo debitum, non voluntati, sed priori gratiæ, videlicet, præviæ excitationi supernaturali. Quia potentia de se est insufficientis ad respondendum illi, nisi prædicto modo a Deo juvetur. Igitur, licet ob hanc indigentiam potentiæ sit necessarium aliquod principium adjuvans illam, quod autem illud debeat esse inhærens requiritur ut actus fiat connaturali modo, et ideo principium assistens sufficit quando non elicitur actus naturali modo, ut in primo actu contingit, de qua re in tertio libro de Auxiliis dixi, et in fine hujus operis iterum de illa sermo redibit.

Nunc vero addo quod, licet illud principium esset inhærens, non tamen propterea esset prædeterminans. Quia omnis qualitas, quæ est tantum actus primus, vel est permanens per modum habitus, vel est transiens et solum per modum dispositionis ad actum propter quem datur, nec præter has potest alia cogitari; neutra autem ex his, recepta in potentia libera, est qualitas natura sua determinans talem potentiam ad unum; ergo tale auxilium prædeterminans non potest intelligi per modum qualitatis constituentis potentiam in actu primo. Minor de se patet in qualitate, quæ est habitus, quia habitibus utimur cum volumus, et quia alias habitus charitatis, qui

est omnium perfectissimus, determinaret voluntatem ad unum, et ita redderet voluntatem impeccabilem, de qua re nonnihil supra diximus. De qualitate autem transeunte, etiamsi daretur, probatur idem, quia talis qualitas quoad vim agendi esset ejusdem rationis cum habitu, et veluti quædam participatio ejus, solumque differens ab illo in carentia permanentiæ, ac proinde existeret minus perfecta. Ergo non magis posset determinare potentiam quam habitus.

Ratio vero utriusque est, quia qualitas sic inhærens solum potest inclinare voluntatem, non tamen privare illam potestate suspendendi influxum suum, sine quo qualitas ipsa nihil potest efficere. Neque etiam videtur possibilis creata qualitas ita impellens voluntatem, ut non possit ei resistere, seu sese continere, suum actum suspendendo, sed videtur hoc proprium divinæ omnipotentiae propter infinitatem suam et propter dominium quod habet supra ipsam voluntatem. Dices rationem hanc non habere vires contra eos qui dicunt auxilium efficax non ita determinare voluntatem, ut auferat potestatem resistendi etiam insensu composito. Respondeo, qui hoc dicunt, vel non ponere determinationem physicam, sed ad summum moralem, seu per aliquam inclinationem; vel si de physica prædeterminatione loquuntur, repugnantia dicere, ut rationes factæ ostendunt, et in superioribus factum est, et in sequentibus, præsertim in cap. ultimo, repetemus.

CAPUT XXIX.

CONCLUSIO SUPERIORIS DISCURSUS, ET COROLLARIA QUÆ EX ILLO INFERUNTUR.

Ex his omnibus imprimis concluditur id quod præcipue est in toto hoc opere intentum, scilicet, non posse dari auxilium physice prædeterminans, quod a solo Deo fiat; quia oportet esse in re distinctum ab auxilio concomitante, ut probatum est; ostensum autem etiam est nihil intelligi posse ita distinctum; ergo recte concluditur tale auxilium nihil omnino esse.

Quapropter in illa comparatione inter determinationem et concursum, dicendum est vel nullam esse distinctionem, vel solum rationis; determinatio enim voluntatis nihil aliud est quam illa actio libera per quam fit consensus voluntatis, quia non est actus primus, ut probatum est; ergo actio; ibi au-

tem in re unica tantum intervenit actio, ut est etiam probatum; ergo.

At vero actio duplici modo potest ratione distingui. Primo, in ordine ad suum effectum formalem; respicit enim subjectum et terminum; et præcise concepta, ut efficit subjectum, vocatur determinatio, quia potentiam indifferentem quoad unam partem reducit in actum secundum; concepta vero in ordine ad terminum, vocatur influxus seu effectio. Secundo, potest distingui ratione in ordine ad causas efficientes; est enim a Deo et a libero arbitrio; et præcise concepta, ut est a Deo, vocatur auxilium seu concursus; ut vero est a voluntate, vocatur influxus liberi arbitrii; et hæc posterior distinctio applicari potest ad singula membra prioris distinctionis; sive enim illa actio concipiatur in ordine ad subjectum, sive in ordine ad terminum, non fit sine concursu Dei et influxu liberi arbitrii. Si ergo determinatio, ut est actio illo modo concepta, comparetur ad concursum prout ad illam sic conceptam requiritur, ad summum distingui possunt ratione, ut conceptus partialis et integri. Nam determinatio dicit totam actionem ut determinativam potentiae; concursus vel auxilium significat præcise influxum Dei ad illam actionem determinativam potentiae. Si vero comparetur ad concursum Dei respectu termini, sic erit quoddam novum fundamentum distinctionis; tota vero manet infra latitudinem distinctionis rationis.

Secundo, explicatur facile ex dictis comparatio alia inter determinationem et concursum in ratione actus primi et secundi. Dicendum est enim utraque voce significari actum secundum, et nullo modo comparari inter se tanquam actum primum et secundum, sed tanquam diversos conceptus seu rationes ejusdem actus secundi. Possumus enim loqui de determinatione in fieri, et in facto esse, seu in termino; et hoc posteriori modo constat esse actum secundum, scilicet ipsum consensum, qui est unicus terminus illius motionis et auxilii, ut ostensum; est in fieri autem est etiam actio, seu productio ipsius consensus, et ita etiam est actus secundus imperfectus, distinguiturque ab alio tanquam via a termino, quæ est distinctio modalis; actio enim seu via non comparatur ad terminum tanquam actus primus ad secundum, sed ut imperfectum ad perfectum in eodem genere actus, et ideo si terminus est quidam actus secundus perfectus, actio ad illum est etiam actus secundus, licet imperfectus. Concursus autem Dei vel

auxilium physice efficax nihil aliud est quam illamet actio, ut a Deo manans: ergo etiam est ipsemet actus secundus, prout est in fieri a Deo, et quatenus est actuale exercitium divinæ omnipotentiae, comparatur ad illam tanquam actus secundus, non actuans illam, sed egrediens ab illa. Determinatio ergo nullo modo comparatur ad concursum, ut actus primus ad secundum, sed ut actus secundus ratione distinctus per diversos respectus, ut explicatum est.

Tertio, explicatur facile altera comparatio in causalitate inter determinationem et concursum, seu influxum, sive Dei, sive liberi arbitrii. In quo etiam multum variant prædicti auctores, nam sæpe contendunt auxilium efficax prædeterminans esse principium et causam, aliquando negant propriam causalitatem. Nam revera non sibi constant, ut legenti facile patebit. Nobis vero res est clara; si enim determinatio sumatur ut perfecta, seu in termino, sic non solum non est causa, verum etiam est quodammodo effectus ipsius auxilii seu concursus, eo modo quo actio est causa termini, proprius vero dicitur via; loquor autem de auxilio actuali, nam illud quod est per modum principii est propriissima causa efficiens, sive sit habitus, sive Deus ipse. Si autem loquamur de determinatione in fieri, sic nullo modo comparatur ad concursum, nec tanquam causa, nec tanquam effectus; sed solum tanquam eadem via aliter vel aliter concepta, ut declaratum est. Quare si auxilium Dei efficax, prout est in fieri, ad ipsum concursum comparetur, omnino significant eandem viam, ut egredientem a Deo. Imo etiam si comparetur ad influxum voluntatis, non habet propriam rationem causæ respectu illius, quia in re non distinguuntur, sed comparantur tanquam duæ viæ partiales, seu inadæquatæ simultaneæ, et necessario connexæ, ex sola ratione distinctæ.

Ultimo, expeditur facile alia comparatio inter auxilium, determinationem seu concursum in ratione prioris vel posterioris, aut simultatis. Omissis autem dictis illorum auctorum, in quibus profecto non sibi constant, ut ex dictis facile patet, dicendum est respectu determinationis in facto esse et in termino, auxilium Dei esse prius natura, eo modo quo actio est prior natura quam terminus. Hac autem ratione, etiam influxus liberi arbitrii est prior sua determinatione, quia est etiam via ad illam. At vero comparando inter se auxilium efficax Dei et influxum liberi arbitrii,

non habent inter se hanc prioritatem, quia neutrum est via ad alterum, sed simul complent unam viam ad unum terminum. Item in re nullam prioritatem naturæ inter se habent in causalitate fundatam, quia nullam causalitatem inter se habent, ut dictum est; habent ergo simultatem, et, ut ita dicam, contententiam. Quomodo etiam Deus ipse et liberum arbitrium dicuntur concausæ ad eandem actionem, solumque dignitate, perfectione, et dependentia ac universalitate, potest dici auxilium Dei prius quam influxus liberi arbitrii.

Hinc vero sumpsit occasionem Cabrera ut in quodam loco, disp. 2, § 3, n. 8, in juncto num. 103, mihi objiceret quod dixerim non dari auxilium efficax prævium, seu præveniens voluntatem nostram, prius natura quam consentiat. Quanquam autem ipse non possit ostendere locum in quo hoc formaliter dixerim, nihilominus, si loquatur de auxilio physice et actualiter determinante voluntatem, nunc dictum ipsum tanquam verum admitto, loquendo de prioritatem naturæ in causalitate fundata. Si autem absolute loquatur de auxilio præveniente efficaci quocumque modo, sic falsa est impositio, cum ego, lib. 3 de Auxil., cap. 6 et 14, ex professo ostendam inter auxilia præventia esse auxilium efficax, quod positum est in vocatione congrua.

Idem d. 3, p. 62, art. 2, dub. 1, circa 3 arg. — Sumpsit etiam ex eodem loco occasionem mihi imponendi quod dixerim, *auxilium efficax Dei et influxum liberi arbitrii a se mutuo dependere*, sed abutitur verbis quæ in me non legit. Quomodo enim inter se dependent, quæ in re non distinguuntur? Loquimur enim de auxilio actuali physico, quod simul quidem est cum influxu liberi arbitrii, non propter mutuam dependentiam, sed propter mutuam essentialem inclusionem et identitatem. Secus vero est si sit sermo de vero auxilio efficaci præveniente, nam illud est vera causa a qua dependet influxus liberi arbitrii quoad suum esse seu fieri; ipsum vero auxilium præveniens in suo esse non pendet ab influxu liberi arbitrii; ut autem operetur et actualiter efficiat, pendet quodammodo ab ipso libero arbitrio, non ut ex causa, sed ut a concausa ejusdem actionis.

Sumpsit denique occasionem arguendi me, eo quod dixerim auxilium efficax non esse influxum Dei in causam. Ego vero non de auxilio efficaci præveniente hoc dixi, sed de

actuali influxu gratiæ cooperantis; ille enim est idem in re cum suo termino, et ideo in subjecto ipsiusmet termini seu effectus recipitur, non in causa. Loquimur autem proprie et formaliter.

CAPUT XXX.

CONFERUNTUR UTRIUSQUE SENTENTIÆ RATIONES SUMMATIM PROPOSITÆ.

Aggredimur tertiam hujus operis partem, in qua promissimus in examen adducere utriusque sententiæ allegationes et fundamenta præcipua; quod utile fore speramus, ut lector ante oculos habere possit totum pondus tam auctoritatum quam rationum. Nam licet in Theologia prævaleat auctoritas, ratio etiam magnum pondus habet; præsertim quando ad principia et dogmata fidei reducitur, ut in præsentia materia fieri videbimus; et ideo, ut credimus, rationum collatio plurimum deserviet ad intelligenda Scripturæ, Conciliorum et Patrum testimonia; et ideo eam præmittere visum est. Optimeque in hunc locum cadit, est enim superioribus annexa, et ad ea quæ dicenda sunt viam præparat.

Duo autem sunt modi argumentandi in hac materia, ad quos tanquam ad duo præcipua capita omnes rationes reducuntur, scilicet, deducendo ad incommoda contra recepta fidei dogmata sanamque doctrinam, et directe ostendendo veritatem alterius sententiæ, et utramque viam attingemus, priusque nostram sententiam comprobabimus, deinde rationes alterius expendemus. Hoc discrimine observato, quod pro nostra sententia solum afferemus ea quæ nobis videntur efficacia, et ideo paucis rationibus utemur; in singulis vero, quid hactenus responsum sit, et quam sit insufficientis ad difficultatem evadendam aperiemus. Pro contraria vero sententia, rationes omnes quæ ab auctoribus ejus hactenus propositæ vel insinuatæ sunt, quantumvis leves ac futiles multæ illarum esse videantur, in medium afferemus, ne quidquam subterfugere videamur.

Prima ergo ratio ab inconvenienti, qua nos probamus determinationem ad unum a solo Deo factam in voluntate, et ordine naturæ præviam ad consensum, non posse esse necessariam ad morales et supernaturales actus ejusdem voluntatis, est quia repugnat vero usui libertatis, et destruit illum, quod constat esse magnum inconveniens; sic enim

tales actus nec liberi essent, nec morales. Assumptum patet, tum quia determinatio ad unum, præsertim quoad exercitium actus, et indifferentia, in qua consistit libertas, formaliter et contradictorie opponuntur; tum etiam quia usus libertatis consistit in hoc quod voluntas domina existens suæ determinationis se flectat ad alteram partem, quo dominio non utitur quando ab alio flectitur seu determinatur; tum denique quia libertatis usus juxta dictam sententiam non invenitur circa ipsam determinationem; quia juxta eamdem sententiam voluntas mere passive se habet recipiendo illam; usus autem libertatis non est in recipiendo, sed in agendo. Nec etiam reperitur libertas in usu, ut sic dicam, talis determinationis, quia ille non subjacet dominio et potestati voluntatis, cum ipsa non valeat determinationem illam continere, ne in actum prodeat; ergo perit libertatis usus.

Huic rationi variis modis occurritur. Primus est ad actum liberum non esse necessariam indifferentiam voluntatis, sed sufficientem indifferentiam judicii vel objecti, ut propositi per tale judicium, quæ indifferentia judicii manet non obstante dicta prædeterminatione. Sed instamus, quia formalis libertas non est in judicio, sed in voluntate; ergo ad verum usum libertatis, licet sit necessaria indifferentia judicii tanquam radix ejus, non tamen sufficit; sed retinenda est in ipsa voluntate. Secundo, quia dominium actus non consistit in indifferentia judicii, sed in potestate intrinseca voluntatis; ergo si voluntas privatur hac potestate, vel impeditur usu illius, non exercet actum tanquam domina ejus; ergo revera actus non est liber. Tertio, quia stante eodem judicio, Deus potest necessitare voluntatem ad actum, cum hoc non implicet contradictionem, et tunc actus voluntatis non esset liber; ergo signum est indifferentiam judicii non sufficere ad libertatem.

Secunda responsio est voluntatem retinere suam indifferentiam non obstante determinatione, quia in sensu diviso potest agere et non agere, licet in sensu composito, id est, recepta et durante determinatione, non possit non agere. Quia impotentia, quæ provenit tantum ex sensu composito, non inducit necessitatem simpliciter, sed secundum quid, quæ non repugnat libertati. Priorem partem declarat quidam modernus, quia illud est necessarium simpliciter, quod intrinsece et ex propria natura est determinatum ad esse;

unde si tantum ab extrinseco sit determinatum ad esse, erit tantum necessarium secundum quid. Altera vero pars, scilicet hanc necessitatem secundum quid non repugnare libertati seu contingentia, constat ex Aristotele, lib. 1 Periherm., circa finem, et D. Thoma, ibi, lect. 13. Constat item inductione seu exemplis; quia posita Dei voluntate, prædeterminatione ac præscientia de futura voluntatis actione, necesse est sequi, et nihilominus libere sequitur.

Suppositio altera antecedentis, altera consequentis. — Sed instamus primo, quia Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 3, et c. 4, ad libertatem requirit indifferentiam et potestatem resistendi, supposita quacumque gratia præveniente, et in sensu ejus composito, ut supra expendimus, et infra etiam attingemus. Secundo, quia Patres, præcipue Anselmus, de Concordia, recte distinguunt duplicem suppositionem, alteram antecedentem, et alteram subsequentem; et necessitatem ortam ex suppositione antecedenti dicunt repugnare libertati, quamvis illa suppositio ab extrinseco proveniat, dummodo sit posita independentem a libertate hominis, et sit causa inevitabiliter inducens effectum; suppositionem autem consequentem dicunt non tollere libertatem, quia in seipsa includit et supponit usum libertatis. Et hæc est vera et propria intelligentia sensus compositi et divisi, per quem defenditur libertas, non obstante necessitate ex suppositione; sic autem non potest in præsentia applicari, quia suppositio illa antecedens est; ponitur enim independentem ab hominis libertate, et inevitabiliter inducit effectum. Quocirca si in universum putetur nullam necessitatem sensus compositi ex suppositione accidentaria seu extrinseca tollere usum libertatis, magnus error est, alioqui nec Deus ipse posset voluntatem necessitare. Estque ratio efficax, quia si suppositio non est libera, et dimanatio effectus a tali suppositione non subditur facultati liberæ, sed potius illam secum rapit, et inevitabiliter trahit ad operandum, ubi est usus libertatis? Aut quid refert quod illa suppositio ab extrinseco proveniat? Et enim si esset intrinseca et innata, plane induceret necessitatem; eamdem ergo vel majorem fert, etiamsi extrinsecus sit illata.

Necessitas simpliciter est duplex. — Quare frivolum est novam fingere diffinitionem necessarii simpliciter, ad fugiendam difficultatem. Quis enim dicat lapidem, cum sursum

impellitur, non necessitari simpliciter ad illum motum, quia non est intrinsece et ex natura sua determinatus ad illum, sed per impulsus extrinsecus impressus? Necessitas ergo simpliciter duplex est, una ab intrinseco seu una naturalis, et altera violenta vel præternaturalis, et utraque repugnat libertati, si in suppositione ipsa, seu causa inducente necessitatem, non præsupponitur dependentia ab usu libertatis; sicut est in intentione finis respectu electionis unici medii. Quod si quis dicat necessitatem simpliciter semper esse ab intrinseco, saltem ex parte proximi principii, ut, in exemplo posito de lapide sursum moto, necessitas illius effectus nascitur ex intrinseca natura impulsus, etiamsi ipse ab extrinseco sit impressus, libenter accipimus responsum, nam declarat et confirmat in præsentia intervenire necessitatem simpliciter, si vera est illa sententia. Nam illud auxilium efficax, quod determinatio vocatur, ex intrinseca sua natura habet omnino inducere talem effectum, et voluntatem ita trahere ad operandum, ut non valeat illi resistere; ergo facta illa suppositione, jam est necessitas ab intrinseco; unde cum alias suppositio libera non sit, perit libertas.

Tertia responsio est, non obstante hac determinatione, et in sensu etiam composito posse voluntatem resistere, et nihilominus infallibile esse quod non resistet; et ita ibi solum intervenire necessitatem infallibilitatis, quæ cum libertate esse potest; non vero esse necessitatem inevitabilem, quæ cum libertate pugnat. Sed instatur, quia illa distinctio vel destruit suam sententiam, et ab illa recedit, vel consistit tantum in verbis, et contradictoria includit. Posita enim determinatione, aut est infallibile futurum consensum ex intrinseca vi et natura talis determinationis, vel non ex hoc capite, sed aliunde. Si hoc posterius dicatur, receditur a sententia, quæ in hoc potissimum consistit, ut auxilium efficax de se et ex intrinseca vi sit efficax, id est faciens ut voluntas faciat infallibiliter. Secundo, hac ratione dicunt hi auctores hanc infallibilitatem esse in ipsa voluntate sic determinata tanquam in causa; ergo infallibilitas est ex virtute causæ. Tertio, voluntas affecta illa determinatione adhuc est indifferens et potens ad utrumlibet; quomodo ergo est determinata ad unam partem cum infallibilitate effectus ex vi determinationis? Quarto, si attentata natura talis determinationis non repugnat voluntatem cessare a sua operatio-